

4

I N D E X
S C H O L A R U M

PUBLICAE ET PRIVATIM

IN ACADEMIA

GEORGIA AUGUSTA

PER SEMESTRE HIBERNUM

A D. XVI. M. OCTOBRI A. MDCCCLXXVI USQUE AD D. XV. M. MARTII
A. MDCCCLXXVII

H A B E N D A R U M.

Hermanni Sauppii commentatio de titulis tegeaticis addita est.

GOTTINGAE

OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA TYPIS EXPRESSIT.

GUL. FR. KAESTNER.



167211

ACADEMIAE GEORGIAE AUGUSTAE
PRORECTOR
REINHOLDUS PAULI D.
CUM SENATU.

Ad titulos tegeaticos, quos A. Boeckhius in Corporis inscriptionum graecarum vol. I (1512—1533) edidit, pauci L. Rossii opera accesserunt (Inscr. graec. ined. fasc. I, 1—7). Eis vero omnibus multo gravius magnum illud legis fragmentum est, quod a. 1859 primum A. Kyprianos, deinde emendatius Th. Bergkii (ind. scholl. halens. 1860/61), denuo autem cum lapide collatum A. Michaelis in Annalibus philologiae a. 1861 (p. 585 sqq.) ediderunt, qua lege locationes aedificationum publicarum atque redemptorum iura et officia ordinantur. Neque enim tantum res, de quibus agitur, memorabiles sunt, sed ex hoc demum fonte dialecti arcadicae paullo accuratior notitia hauriri potuit, de qua re Th. Bergkii, A. Michaelis, M. A. Gelpke (G. Curtii stud. gramm. gr. et lat. 2) exposuerunt. Aliam inscriptionem non minus gravem a. 1865 repertam P. Eustratiades in Archaeologica Ephemeride a. 1869 p. 341 sqq. publicavit: quam quanquam A. Kirchhoff in Actis mensuris acad. lit. berol. a. 1870 p. 51 sqq. laconica dialecto a Xuthia Lacedaemonio conceptam esse ostendit, luculento tamen exemplo demonstrat, quam vere Athenaeus Posidonio auctore pecunias a Lacedaemoniis, quas Spartae habere non liceret, apud Arcades depositas esse tradiderit (6 p. 233. F.). Facile enim est ad intelligendum templum Minervae Aleae, religiosissime ab omnibus Peloponnesi incolis cultae, quod Tegeae, in urbe cum Lacedaemoniis vetere societate coniuncta, esset, Lacedaemoniis ad deposita eiusmodi servanda tutissimum et aptissimum visum esse. Atque ita factum esse Kirchhoffius optime vidit, ut tabula etiam pecuniarum a sociis Lacedaemoniorum bello peloponnesiaco collatarum, laconica illa dialecto scripta, quae titulo Corporis boeckhiani 1511 continetur, in eo templo asservaretur (cf. Kirchh. de historia literaturae graecae p. 207 et in Actis mensur. acad. berol. a. 1870 p. 59). In eodem Minervae templo lapidem quoque statutum fuisse apparet, in quo unum, quod adhuc exstat, foederis arcadici decretum scriptum est, quod paucis annis ante effossum P. Foucart in Commentationum ab hominibus doctis diversis academiae inscriptionum et bonarum literarum parisiensi traditarum vol. 8 part. 2 p. 93 sqq. edidit. Verba haec sunt: *Θεός· Τύχη. Ἔδοξεν τῇ βουλῇ τῶν Ἀρκάδων καὶ τοῖς*

Μυρίοις Φύλαρχον Λυσικράτους Ἀθηναῖον πρόξενον καὶ εὐεργέτην εἶναι Ἀρκαδῶν πάντων, αὐτὸν καὶ γένος. Δαμιοργοὶ δὲ ἦσαν — —. Sequuntur enim Tegeatarum nomina quinque, Maenaliorum tria, Lepreatarum duo, Megalopolitarum decem, Mantineensium, Cynuriorum, Orchomeniorum, Clitoriorum, Heraensium, Thelphusiorum quina. Rationes igitur foederis arcadici ita ordinatas fuisse edocemur, ut reipublicae similitudinem referrent, cum contio decem milibus civium in singulis civitatibus electorum constans, senatus, magistratus summam omnium rerum moderationem inter se partirentur. Hunc titulum P. Foucart gentium et earum, quarum demiurgi nominantur, et earum, quarum nulli subscripti sunt, rationibus accurate expensis admodum probabile reddidit a. 224 a. Chr. n. scriptum esse. Quod vero Megalopolitani demiurgi decem sunt, id capiti foederis datum, Maenaliorum et Lepreatarum civitatibus minutis, tanquam unam civitatem foederatam efficerent, coniunctis quinque demiurgos concessos esse idem rectissime statuit. Sed quod Phylarchum ab Arcadibus honoribus affectum historiarum scriptorem esse Foucartus existimat, nimis fallacibus argumentis ea opinio nititur, quam ut probabilis esse videri possit.

Venio ad alios titulos, quos in Minervae aede vel ad eam statutos fuisse verisimile est. In eadem domo Chresti Sabas in vico Piali, in qua inscriptio a P. Foucart edita exstat, aliam Michael Deffner, vir eruditissimus, commentationibus compluribus, praesertim eis, quas de dialecto Zacorum scripsit, de subtiliore sermonis graeci, qui nunc est, cognitione insigniter meritus, a. 1874 invenit, cuius mecum ectypon chartaceum accuratissime a se factum, cum vere a. 1875 Athenis versarer, humanissime communicavit. In lapide scripta haec sunt:

Θ]ΕΟΣ ΤΥΧΗ

ΕΛΟΞΕΤΗΙΠΟΛΕΙΤΩΝ ΤΕΓΕΑΤΩ
 ΝΑΓΗΣ ΑΝΔΡΟΝΝΙΚΟΣ ΤΡΑΤΟΥΘ
 ΕΣΣΑΛΟΝΕΞΣΚΟΤΟΥΣ ΣΗΣΤΕΓΕ
 5 ΑΤΩΝΠΡΟΞΕΝΟΝΕΙΝΑΙΚΑΙΕΥΕ
 ΡΓΕΤΗΝΑΥΤΟΝΚΑΙΕΓΓΟΝΟΥΣΚ
 ΑΙΕΙΝΑΙΑΥΤΩΙΩΣΕΥΕΡΓΕΤΗΙ
 ΟΝΤΙΙΣΟΠΟΛΙΤΕΙΑΝΚΑΙΕΜΗΑ
 ΣΙΝΟΙΚΙΑΣΚΑΙΓΗΣΕΠΙΝΟΜΙΑ
 10 ΝΑΣΥΔΙΑΝΑΤΕΛΕΙΑΝΑΣΦΑΛΕΙ
 ΑΝΚΑΙΕΜΗΟΔΕΜΩΙΚΑΙΕΝΕΙΡΗ
 ΝΗΙΚΑΙΑΥΤΩΙΚΑΙΓΕΝΕΙΠΡΟΣ
 ΤΑΤΑΣΤΟΥΔΑΜΟΥΔΥΚΙΟΣΘΕΟΚ
 ΡΙΤΟΣΑΔΕΞΑΝΔΡΟΣΣΤΡΑΤΑΓΟ
 15 ΙΟΙΚΙΟΣΑΥΔΙΟΣΚΑΜΠΑΣΚΛΕΑ
 ΙΝΕΤΟΣΦΙΔΕΑΣΕΥΔΟΞΙΑΑΣΞΕ
 ΝΟΚΛΗΣΙΠΠΙΑΣΚΛΕΟΚΡΙΤΟΣΥ
 ΔΡΙΟΣΑΥΤΟΚΛΗΣΙΠΠΑΡΧΟΣΤΕ
 ΙΣΑΝΔΡΟΣΓΡΑΜΜΑΤΕΥΣΑΓΕΑΣ
 20 ΙΕΡΕΥΣΤΗΣΑΘΗΝΑΣΕΥΑΙΝΕΤΟΣ

Lapidis magnitudinem ipsius non novi, sed versus lati sunt centesimas 37, literae altae singulas, tota scriptio alta 34. Praeter primam literam Θ ne una quidem alia deest. Versus *στοιχηθόν* scripti literas vicenas ternas continent praeter ultimum, cui Σ in fine additum est. Formae literarum admodum aequabiles et elegantes. *E* et Ξ lineolam mediam transversam paullo breviorum habent, quam superiorem et inferiorem, quae utraque compluries leniter extrorsum curvatur, *II* literae linea recta dextra dimidiatam aequat sinistram, *N* angulo inferiore lineam versus non tangit et lineola recta dextra aliquantulum supra versum extenditur, *A* utroque brachio lineam tangit, sed utroque infra leniter extrorsum curvato, *A* linea transversa non fracta est, *O* et Ω non prorsus, sed paene aequant reliquarum altitudinem literarum. In univsum igitur literatura eius simillima est, quae in titulis P. Foucarti et A. Michaelis esse dicitur.

Literis nunc usitatis transcriptus titulus hic est:

Θεός . Τύχη.

Ἔδοξε τῇ πόλει τῶν Τεγεατῶν Ἀγῆσανδρον Νικοστράτου Θεσσαλὸν ἐξ Σκοτούσης Τεγεατῶν πρόξενον εἶναι καὶ εὐεργέτην, αὐτὸν καὶ ἐγγόνους, καὶ εἶναι αὐτῷ ὡς εὐεργέτῃ ὄντι ἰσοπολιτείαν καὶ ἐμπασιν οἰκίας καὶ γῆς, ἐπινομίαν, ἀσυλίαν, ἀτέλειαν, ἀσφάλειαν καὶ ἐμ πολέμῳ καὶ ἐν εἰρήνῃ, καὶ αὐτῷ καὶ γένει. Προστάτα[ι] τῷ δάμῳ Ἀνίκιος, Θεόκριτος, Ἀλέξανδρος. Στραταγοὶ Οἴκιος, Ἀναῖος, Καμπᾶς, Κλεαίνετος, Φιλίας, Εὐδοξίδας, Ξενοκλῆς, Ἰπτίας, Κλεόκριτος, Ὑθριος, Αἰτοκλῆς, ἱππαρχος Τεΐσανδρος, γραμματεὺς Ἀγίας. Ἱερεὺς τῆς Ἀθηνᾶς Εὐαίνετος.

Privilegia hospitibus civitatum publicis prorsus eadem in permultis proxeniis et ab Ed. Meiero in notissima commentatione (de proxenia sive de publico Graecorum hospitio. Halis, 1843) collectis (cf. p. 17 sqq.) et postea inventis tributa esse constat. Ne illud quidem novum est, quod ius peregrino tributum agros et aedes in finibus Tegeatarum possidendi *ἐμπασις* dicitur, cum ab Atticis et postea in dialecto Graecorum communi vox *ἐγκησις* ea vi usurpetur. Nam Dorienses et Aeolenses radice *πα* (*πάομαι, πεπᾶσθαι, πᾶμα, πάμων, ἐσποπάμων, πᾶσις, ἐπιπαμαίς, πάμωνος*) pro ionica et attica *κια* usos esse constat: cf. T. Hemsterhus. ad Hesych. 1 p. 1197, D. Ruhk. ad Tim. p. 174 sqq. L. Valcken. ad Theocr. Adoniaz. p. 227 Hdf. L. Ahrens dial. dor. p. 108, quanquam is minus recte Italiotarum eas voces maxime proprias fuisse dicit. In Boeotorum dialecto dicitur *ἐππασις* vel *ἐπασις*: cf. Boeckh. Corp. Inscr. 1 p. 725. Ahrens dial. aeol. p. 213. In elidensi proxenia, quae nuperrime Olympiae reperta est (ephem. archaeolog. berol. 33 p. 183 sqq.), mireris quod *καὶ γᾶρ καὶ βοικίας ἐγκησιον* legitur. Idem vocabulum, quod est *ἐμπασις*, restituendum esse apparet in alio titulo, qui prope eiusdem Minervae Aleae aedem repertus esse videtur, publicatus ille a P. Foucarto in Actis scholae atheniensis gallicae (1868) p. 10: *Θεός. Ἐπὶ Σωστράτῳ ἱερεῖ. Ἔδοξε τῇ δάμῳ τῶν Τεγεατῶν Λαμαίριον Λαμαίριῳ Αἰτωλὸν πρόξενον εἶναι καὶ εὐεργέταν εἶναι αὐτὸν καὶ ἐγγόνους· εἶναι δὲ αὐτῷ καὶ ἐγγόνις γᾶς καὶ οἰκίας ἐπινομίαν, ἀσφάλειαν, ἀσυλίαν, καὶ αὐτῷ καὶ χρήμασιν, καὶ ἐμ πολέμῳ καὶ ἐν εἰρήνῃ· ἐπὶ στραταγοῖς τοῖς περὶ Χρέμονα.* Neque enim quisquam dubitabit, quin v. 5 legendum sit: *εἶναι δὲ αὐτῷ καὶ ἐμ πασιν*

γαῖς καὶ οἰκίας, ἐπινομίαν — —, sive lapicida erravit sive in ectypo describendo Foucartus. Totum vero titulum exscripsi, quia saepius eo etiam in eis, quae sequuntur, utendum erit.

Sed inscriptio, quam primus supra publice proposui, ad res Tegeatarum gravissima est paullo accuratius cognoscendas. Nam primum Tegeae *prostatas populi* exstitisse cognoscimus. Hucusque vero *προστάται* non certi quidam magistratus in ulla civitate appellati esse videbantur, sed communiter omnes, qui populum regerent summaque apud eum auctoritate essent, eo nomine dicti esse existimabantur (cf. Schoemann. antiqu. publ. Graec. 1 p. 184), ut apud Platonem est in Gorgia p. 520. A: οἱ φάσκοντες προστάται τῆς πόλεως καὶ ἐπιμελεῖσθαι et in Civit. 8 p. 565. C: οδοῦν ἕνα ἀνὰ ἀεὶ δῆμος εἶωθε διαφερόντως προϊστάσθαι ἑαυτοῦ, vel apud Lysiam 13 §. 7: τοὺς τοῦ δήμου προσετηκότας καὶ τοὺς στρατηγούνας καὶ ταξιαρχούνας. Neque loci quidquam probant, qualis est Plutarchi in Alcibiadis vita c. 14: παρεθάρρυνε πέμπων καὶ διαλεγόμενος τοῖς προσετώσι τοῦ δήμου (Argivorum) μὴ δεδιέναι μηδ' ὑπέειπεν Λακεδαιμονίοις. vel Xenophontis Hellen. 7. 4, 33: οἱ δ' ἄρχοντες (Arcadum), φάσκοντες αὐτοὺς (Mantineenses) λυμαίνεσθαι τὸ Ἀρχαδικόν, ἀνεκαλοῦντο εἰς τοὺς μυρίους τοὺς προστάτας αὐτῶν. 5. 2, 3: πρὸς τοὺς ἐν Μαντινείᾳ τοῦ δήμου προστάτας. Ne Aeneae quidem Tactici locus c. 11: ἔδοξε τῷ τοῦ δήμου προστάτῃ τάχιστα ἐκκλησίαν συναγαγεῖν (de Argivis sermo est) vel Theopompi apud Athen. 6 p. 252. A: (Nicostratus) προστάτης γενόμενος τῆς Ἀργείων πόλεως καὶ παραλαβὼν καὶ γένος καὶ χρήματα καὶ πολλήν οὐσίαν παρὰ τῶν προγόνων ἅπαντας ὑπερεβάλετο τῇ κολακείᾳ, quibus locis de certo magistratu C. O. Müller Dor. 2 p. 144 et C. F. Hermannus antiqu. publ. Graec. §. 69, 4 cogitandum censent, ita comparati sunt, ut omnem eximant dubitationem. Hic demum lapis tegeaticus *προστάτας τοῦ δήμου* nominibus eorum additis certo quodam magistratu functos esse luculenter testatur, ut fortasse etiam apud Aeneam Tacticum similem Argivorum magistratum dici existimare possimus. Videntur vero illi cum tribunis Romanorum conferri posse, cum in eis tantum civitatibus fuisse perhibeantur, in quibus summum omnium rerum arbitrium penes populum esset. Quadratarium vero apparet per errorem *ΠΡΟΣΤΑΤΑΣ* scripsisse pro eo, quod debebat, *ΠΡΟΣΤΑΤΑΙ*, cum non unus, sed tres nominentur, Lycius Theocritus Alexander.

Deinde ad confirmandum hospitii publici honorem praeter *prostatas* undecim praetores (*στρατηγοί*) adduntur, qui magistratus, cum *prostatarum* potestas magis ad contionem senatumque regendum pertineret, administrandae ex eorum decretis reipublicae summam curam habuerint. Cur undecim fuerint, non liquet nec quidquam proficimus, si magistrum equitum eorum collegio addimus, ita ut collegium duodecim virorum fuerit. Neque numerum eorum omnibus temporibus eundem fuisse ex alio titulo cognoscimus, quem Paulus Foucart in eisdem, quae paullo ante commemoravi, Actis scholae gallicae atheniensis p. 9 publicavit, et ipsum ad aedem Minervae repertum: *Στρα[τ]ιστοὶ ἀνέθεν Ἐναρχος Κλέωνο[ς], Λαμέας Φίντωνος, Ἱμπεδισ Ἀνταγ[ό]ρω, Φίλιος Φίλωνος, Ἐπισθένης Λυσι[δ]άμω, Ἀριστίων Ἰσομάχω, Φίλιππος Ἀγαθ[οκ]λέος, Ἰππαρχος Γόργ[ω]ν Γοργίππω, γράφης Εἰδάρε[το]ς Σακλέος.* (Apographum lapidis in duas partes diffracti, quae in domo Tri-

antafylli Smyrniotis exstant, a Mich. Deffnero factum in manibus habeo.) Ibi igitur septem vel addito hipparcho octo nominantur. Ad demos vero Tegeatidis, de quibus cogitare aliquis velit, referri numerus non potest, nam demos novem fuisse Pausanias 8. 45, 1 tradidit. Cf. E. Curtius Peloponn. 1 p. 250 sq. C. Bursian geogr. Gr. 2 p. 216 sq. Neque tamen semper omnes enumeratos, sed aliquando tantum principis sive praesidis eorum nomen adscriptum esse, titulus supra commemoratus ostendit, cuius postrema verba *ἐπὶ στραταγοῖς τοῖς περὶ Χρέμωνα* esse vidimus; ex quibus verbis dignitatem eorum annuam fuisse iure concluderis. Scribam praetorum et hipparchi collegio additum fuisse et hic, quem modo exscripsi, titulus probat: *γράφης Εὐάρετος*, et ille, ad quem haec omnia, quae disputamus, pertinent, in quo est *γραμματεὺς Ἀγέας*. Similis praetorum ratio Megarae fuit: nam eius urbis A. Boeckhii titulum unum (C. I. Gr. 1, 1052), decem St. Pittakis (*Ἐφημ. ἀρχαιολ.* 1853. 1327—1336) et R. Rangabis (antiqu. graec. vol. II, 693—702) ediderunt, ectypis factis Ph. Le Bas in Inscriptionum graecarum vol. II, 26 sqq. emendatioribus repetivit eisque duos P. Foucart in supplementis operis lebasiani (30. b. 33. a) addidit, in quibus omnibus decretis de hospitio publico peregrinis quibusdam tribuendo aut praemittuntur aut subscribuntur una cum nomine regis et scribae senatus populique nomina praetorum partim quinorum, partim seniorum. Eam numeri diversitatem P. Foucart in commentario, quem operi Philippi Le Bas addere incepit, 2 p. 13 sq. ita probabiliter explicavit, ut Boeckhii sententia numerum quinarium illorum strategorum ad quinque Megarensium pagos antiquos referendum esse existimantis comprobata a Megarensibus sextum pagum antiquis in Demetrii Antigoni F., qui a. 307 libertatem urbis restituerat, honorem additum esse coniecisset, similiter atque Athenienses Antigonidem et Demetriadem tribubus veteribus addiderunt. Ac fortasse etiam Tegeae numeros praetorum et a demorum numero a Pausania tradito et inter se diversos ad auctum aliquando pagorum numerum referre possis.

In fine additus est sacerdos Minervae Aleae, quod quo consilio factum sit alter, quem supra exscripsi, Foucarti titulus docet. In eo enim decreto praescriptum est: *ἐπὶ Σωστροάτῳ ἱερεῖ*. Atque eponymos annorum Tegeae sacerdotes Minervae fuisse iam Boeckhii Corp. I. G. 1 p. 701 rectissime dixit. Cf. L. Ross. Inscr. gr. 1 p. 1. Dativi vero casus cum praepositione *ἐπὶ* ad tempus notandum coniuncti (*ἐπὶ ἱερεῖ, ἐπὶ στραταγοῖς*), exempla quaedam ex inscriptionibus aetatis romanae C. Keilius in sylloge inscr. boeot. p. 59 collegit et comparari aliquo modo potest formula homerica *ἐπ' ἡματι τῷδε* et herodotea *ἐπ' ἡμέρα ἐκάστη*. In titulo Rossii praescriptum est *ἐπὶ ἱερέος Ἡρακλείδα*.

Tempus tituli certius definiri non potest. Nam quod quis ex eo, quod Agesander Scotussaeus dicitur, concludi aliquid posse existimet, si accuratius quaesiveris, vanum esse apparet. Eam urbem Thessaliae ab Alexandro Pherae dirutam esse Pausanias 6. 5, 2 et Diodorus 15, 75 et Plutarchus Pelopidae c. 29 tradiderunt, quod quo errore Pausanias ad Ol. 102, qua Damo Thurius Olympiae in stadio vicerit (Iulius Afr. p. 60 ed. R.), eiusque annum secundum retulerit, quo Phrasiclidem Athenisarchontem fuisse

recte dicit, non patet. Alexander enim Ol. 102, 4 (369/68) demum rerum potitus est: Xen. Hell. 6. 4, 34. Rectius igitur Diodorus l. d. Scotussam deletam esse Polyzelo archonte dicit, h. e. a. 367/6 (Ol. 103, 2). Paucos cives tum mansisse Pausanias addit, sed *καὶ αὐθις*, ait, *ὑπὸ ἀσθενείας ἐξέλιπον καὶ οὗτοι τὴν πόλιν, ὅτε καὶ τοῖς πᾶσιν Ἑλλήσι προσπαῖσαι δεύτερα ἐν τῷ πρὸς Μακεδόνας πολέμῳ παρεσκεύασεν ὁ δαίμων* h. e. post bellum lamiense, a. 322. Recte vero C. Bursian (geogr. gr. 1 p. 71) etiam post hanc cladem urbem illam restitutam esse eo demonstrat, quod in bellis a Philippo V gestis saepius commemoretur. Cf. Polybius 10, 42. 18, 20. Livius 33, 6. Atque Eusebius in Chronicis p. 180 ed. Mai Pravilum Phoxini F. Scotussaeum a. 189 praetorem foederis Thessalorum fuisse testatur, quem eundem a Delphis proxenum factum esse titulus a C. Weschero et P. Foucarto editus 18 v. 109 docet, ubi nominatur *Πραῦλος φοξίνου Σκοιουσσαῖος*. Cf. R. Weil in Salleti diurnis numismaticis vol. 1 p. 182. Nihil igitur Scotussae urbis mentione facta lucramur, nam causae multae cogitari possunt, quae Tegeatas permoverint, ut etiam urbis civi magnis opibus haud insignis hospitium publicum tribuerent. Itaque hoc unum restat, ut comparatis literarum formis cum eis, quae in titulo foederis arcadici habentur, etiam tegeaticum Agesandri eodem fere tempore scriptum esse iudicemus, h. e. sub finem tertii ante Christum natum saeculi.

Sed videtur etiam de dialecto aliquid dicendum esse, ne quis miretur, quod pauca tantum eaque levia sermonis arcadici vestigia exstant, cum in lege illa de redemptione operum publicorum, quam eodem fere tempore Th. Bergkius l. d. p. XII et A. Michaelis p. 586 latam esse iure suo censent, illius dialecti speciem constanter servatam esse intelligamus et laetemur. In tribus de hospitio tribuendo decretis haec pauca, in quibus dialectum arcadicam agnoscas, habentur: in proxenia Phylarchi *δαμοργοί*, in Agesandri *ἐμπασιν, δάμων, στραταγοί*, in Demetrii *δάμῳ, Τεγεατῶν, Δαματρίῳ, εὐεργέταν, ἐμπασιν* (eam enim vocem restituendam esse vidimus), *γᾶς, εἰράνα, στραταγοῖς*, paullo plura in dedicatione praetorum: *στραταγοί, ἀνέθεν* (W. Vischer symbol. epigr. et archaeol. graecae p. 41. Ahrens dial. dor. p. 317), *Ἀνταγόρω, Λυσιδάμῳ, Ἰσχομάχῳ, Γοργίππῳ, γράφης* (cf. *ἰέρης* in C. I. Gr. 1, 1314. Boeckh. p. 701). Ex nominibus propriis ea, quae in *ιδας* exeunt, constanter omnia hanc litteram aeolicam servarunt, in proxenia Phylarchi *Δαμοκρατίδας, Εὐγειτονίδας, Ἀρεσιάδας, Εὐδαμίδας, Χαρείδας* (contra *Ταχύτης*), in Agesandri *Εὐδοξίδας*. Omissis igitur nominibus propriis, quorum speciem popularem difficilium mutari consentaneum est, omissis vocibus *δάμος, δαμοργοί, στραταγοί, γράφης* (quamquam in Agesandri titulo est *γραμματεῖς*), quas voces similitudinem quandam nominum priorum referre iure dixeris, paucissima vestigia dialecti patriae manent: *ἐμπασις, Τεγεατῶν* (in Agesandri titulo est *Τεγεατῶν*), *εὐεργέταν, γᾶς, εἰράνα*. Sed eadem diversitas etiam in titulis aliarum civitatum et regionum deprehenditur. Sic in titulis eretriensibus C. I. Gr. 2, 2144, Rangab. antiqu. 2, 689, Archaeol. ephem. 1869. 404. a—c. et 1872. 418, omnibus illis eodem fere tempore scriptis, dialecti notam eretriensis frustra quaesiveris, sed in eo, quem P. Eustratiades in eadem ephemeride 1872, 417 edidit, ad idem illo tempus, h. e. quod inter medium saeculum quartum

et medium tertium fuit, referendo, literam caninam, quam Eretriensibus Strabo et multi grammatici in deliciis fuisse testantur, ita ut, si quis rem molestam significare vellet, Ἐρετριέων ζῶν in proverbii consuetudinem venisset (Diogenian. 4, 57. Ahrens dial. aeol. p. 226), saepissime usurpatam esse videmus, ut ὀπόραι ἄρχουριν, δμννούρας, παραβαίνωριν. Etiam in titulis laonicis eius literae nullum vestigium exstabat, donec P. Eustratiades in Palingenesia 1868, 1501 (= Hermes 3, 449 sq.) et St. Kumanudes in Athenaeo 1 p. 255 sq. (cf. nunc P. Foucart in Comment. inscr. a Lebasio collectarum vol. 2 p. 79 sq. et 142 sq.) complures titulos ederent, qui et hac litera saepe usurpata et aliis dialecti laconicae proprietatibus assumptis magnam asperitatem prae se ferunt. Atque eadem est ratio eius tituli, quem cum nuperime solum olympiacum felicissimo successu eruderatum luci reddidisset, A. Kirchhoff in ephem. archaeol. berol. 1876 p. 183 sq. edidit, mira sonorum asperitate insignem. Haec omnia videntur docere in omnibus Graeciae regionibus speciem sermonis antiquitus traditam in usu vitae quotidianae ab incolis eo magis servatam esse, quo magis a literis vitae publicae rationibus alieni essent. In harum enim luce ut sensim sensimque dialectus attica praevaleret, artium literarumque flore, quo Athenas universae Graeciae praestare omnes vel inviti concedebant, effectum est. Notus est Strabonis locus 8. 1 §. 2, quo etiam suis temporibus Peloponnesios aeolicae originis hanc suam dialectum plus minus dorica mixtam tenuisse testatur. Itaque fere ad Alexandri usque tempora in actis publicis, maxime in eis, quae ad commercium cum aliis civitatibus pertinent, dialecto quadam communi, quae attici sermonis similitudinem referret, utebantur, ut paucae tantum suae dialecti notae quasi furtim manerent, in eis, quae ad suam tantum civitatem suorumque civium rationes spectarent, alii alio modo agebant. Sed cum summa rerum ad Macedones translata vigor ille vitalis civitatum graecarum marcesceret et fulgor Athenarum Atticarum palluisset, sermo plebeius in singulis civitatibus se iactare coepit, ut quae antea in vitae modo quotidiana audita erant, iam etiam in vitae publicae usum se insinuarent atque in scriptiones publicas irrepent. Quae dixi, leviter tantum adumbrata esse probe intelligo, sed videbatur tamen breviter ea tetigisse non inutile esse.

De uno aliquid nomine proprio, quod Agesandri proxeniae subscriptum est, addo. Hipparcho nomen est Τείσανδρος. Et hoc nomen enim et reliqua omnia, quae cum eadem stirpe composita sunt, apud scriptores omnes, etiam in praestantissimis codicibus, Τείσανδρος, Τίσαμενός, Τίσιος, et quae sunt reliqua similiter scribuntur, ita ut Vil. Clemm de compositis graecis p. 38 et A. Fick de nominibus hominum graecis p. 82 alteram formam ne commemoraverint quidem, Vil. Dittenberger Herm. 1 p. 414 Τεισάνωρ doricæ eius hominis origini tribuendum esse existimaverit, Paul. Cauer de dial. att. vetustiore (in G. Curtii stud. grammat. gr. et lat. vol. 8) p. 253 titulorum literas, quae sunt εῦ, exemplis depravatae pronuntiationis ε̄ vocalis cum dubitatione sane aliqua addiderit, quanquam L. Ahrens dudum (de dial. dor. p. 184) τείσω futurum eodem modo ex stirpe, quae est ᾱ, factum esse dixit, quo λείψω, εἴσομαι, δείσω ex radicibus λιπ, ε (et ιδ), δι. Exemplis futuri et

aoristi primi e titulis doricis et aeolicis a L. Ahrens collectis alia addi possunt. ἀποιείση est in titulo naupactio ab I. Oeconomide 1869 edito = Mus. rhen. 26 p. 55 = G. Curtii stud. gr. gr. et lat. 2 p. 444 (v. 15: ἐντε κ' ἀποιείση), deinde in tit. andaniensi a me edito v. 63 et 78 (= v. 61. 76 in Supplementis operis lebasiani t. 2, 326. a. et p. 161 sqq.) ἀποιεισάτω (nam etiam loco posteriore in lapide esse ἀποιεισάτω qui eum viderunt testantur et in ectypo chartaceo, quod A. Michaelis beneficio possideo, ipse agnosco), cum v. 75 praecedat ἀπουνέτω et v. 77 ἐκίνη sequatur. Deinde in lege tegeatica de redemptionibus v. 37 est ἀποιεισάτω et v. 39 ἔσσεισιν h. e. ἔκκισιν (cf. Gelpke de dial. arcad. p. 27): in hoc titulo (v. 45) εἰ etiam in praesentis temporis formam receptum est: ἀποιειέτω. Denique conferendum est, quod bis in titulo idaliensi v. 12 et 25 legitur, πείσει = τείσει (cf. Deecke et Siegismund in Curtii studiis 7 p. 252). Neque vero doricæ et aeolicæ dialecti hoc proprium est, sed etiam in C. I. Att. 38. f. 18 π]αθείν ἢ [ἀπο]τείσαι legitur, quem titulum A. Kirchhoff ad a. 425 vel 424 refert. Atque quaecumque nomina virorum ab ea stirpe incipiunt, in quocumque lapide inveniuntur, εἰ habent. Sic Τεισαμενὸς Παιανιεύς prytaeis suffectus quaestorum Minervæ est in C. I. Att. 133 (Ol. 91, 3 = 414/3) eiusque posterius, Τεισαμενὸς Παιανιεύς, Lycurgi oratoris aequalis, in titulo U. Köhleri Herm. 5, 224 et Τεισαμενὸς Paeaniensis ephēbus in titulo Niciae Otrynensis archontis (Kirchhoff Philol. 12 p. 734 sqq. v. 50. cf. U. Köhler Herm. 5 p. 227. Dumont arch. att. p. 16), Τεισαμενὸς Πρασιεύς est in titulo navali Rangab. antiqu. 2343. B., Τ]εισαμενοῦ Σφήτιος in Cumanidis tit. sepulchrali 1177, alius denique est in C. I. Gr. 292. Deinde Τείσανδρος est in C. I. Att. 449. II, 19. In tit. 446. II, 11 autem non ΤΕ[ΙΣ]ΑΝΑΡΟΣ legendum est, sed, cum teste E. Hicks (inscr. att. mus. britannici p. 104) in lapide ΤΙ..ΑΝΑΡΟΣ agnosci possit, Τίμανδρος scriptum fuisse videtur. Ἐπὶ Τεισάνδρον ἀρχοντος (Ol. 91, 3 = 414/3) natus fuit Dexileos, teste lapide nobilissimo (Ἀρχ. Ἐφημ. 343 = Cumanud. tit. sepulch. 540), Τείσανδρος Ἀχαρνεύς est apud Rang. 2, 1403 = Cuman. tit. sep. 353, Ἀρομέας Τεισάνδρον Εἰτεαῖος Rang. 1439 = Cuman. 424. Porro Τεισάνωρ Τεισάνωρος Ἀμπιρεύς in titulo ephēbico est Φιλίστωρ A p. 288 (cf. Vil. Dittenberger Herm. 1 p. 414). Tum Τεισίας Τεισιμάχον Κεφαλήθεν dux Atheniensium Ol. 90, 4 = 417/6 in insulam Melum missus nominatur in C. I. Att. 181, nam hoc nomen recte restitutum esse Thucydides 5, 84 ostendit. Eius pater Τεισίμαχος Τεισίον Κεφαλήθεν inter quaestores Minervæ fuit, qui titulo C. I. Att. 299 enumerantur, inter Ol. 84, 1 et 86, 2 = 444—435 a. Chr. Ἰερομνήμων Τεισιμάχον ἐκ Κοίλης inter proedros est plebisciti, quo Ol. 124, 1 = 284/3 a. Chr. Philippidae comico honores magni tributi sunt (Ἀρχ. Ἐφημ. p. 109 sqq. = Φιλίστ. Γ p. 463 sqq. = Eos 1 p. 24 sqq., ubi M. Zink interpretatus est, cf. Vil. Dittenberger Herm. 2, 286 et U. Köhler Herm. 5 p. 347). Τεισίας ephēbus nominatur Rang. 2, 997. Τεισίας καλός in vase scriptum est C. I. Gr. 4, 7891. Τεισιάθης est in indice hominum nescio quorum ætatis macedonicae Rang. 1264. Τει[σικλή]ς Τεισικλέους Aphidnaeus in eis enumeratur, qui Ol. 110, 1 = 340 in pugna aliqua occubuerant: C. I. Gr. 172. 3, 15. Τείσιππος Σιρατοκλέ[ους] est in titulo sepulchrali Rang. 1777 = Cumanud. tit. sep. 3361

atque ad huius tituli exemplum etiam inter trierarchos, qui Rang. 1252 (= 1243) enumerantur, *Τείσιππος Στρατιοκλέους* fuisse existimandus est. Breviter commemorandi sunt *Τείσαρχος* Styrensis (Mus. Rhen. 22, 285), *Τείσανδρος* Eretriensis *Ἀρχ. Ἐφημ.* 404. b. 55, *Διοκλείδης Τείσανδρου* Messanius, qui inter *ναρούς* vel *ναωρούς* refertur C. I. Gr. 3, 5615 (cf. Ahrens dial. dor. p. 13), *Τείσιας Ἡρακλείδ[ου] Γελῶος* Rang. 2, 1938, *Τείσιλας* Boeotus R. 2, 1306. *Τείσι[τρατος]* Tenius Rang. 2, 900. *Τείσιων* Megarensis Rang. 2, 693. Denique affero Amazonem in vase, de quo O. Iahn in *Annal. inst. archaeol. romani* 1864 p. 242 exposuit, *Τείσιπύλην* nominari. Nominum littera $\bar{\iota}$ scriptorum haec duo tantum exempla adnotavi: *Τισικράτεος* in titulo Argivo C. I. Gr. 1211 v. 11. 13. qui titulus e schedis tantum Fourmonti a Boeckhio editus est, et *ἐπὶ Τισαγόρα* in vase Syracusano C. I. Gr. 3, 5385. c. Quis igitur dubitaverit, quin apud Thucydidem 5, 84 *Τείσιας ὁ Τεισιμάχου*, ut est in lapide C. I. Att. 181, scribendum sit et apud Diodorum 13, 7 eo, quod in codd. omnibus habetur, *Πεισιάνδρου*, nominis, quod archontis Ol. 91, 3 fuisse lapis ille sepulchralis Dexilei testatur, vera forma *Τείσιάνδρου* servata sit? Atque si haec concedi oportet, iure mihi videor dicere, quaecumque nomina hominum ab hac stirpe derivantur, omnibus locis, ubi inveniuntur, per litteras *ει* scribenda esse. Neque aliter iudicandum est de formis futuri et aoristi primi verbi *ίνω*. Nam litteram $\bar{\iota}$ in eis non brevem esse, id quod Buttmanus gr. ampl. 2 p. 239 existimabat, sed apud Homerum pariter atque Pindarum et poetas atticos produci homines docti dudum intellexerunt. Ac sive a stirpe futuri sive ab aoristi primi illa nomina propria, quae sigma habent, derivanda sunt, *ει* in ea stirpe fuisse certissimum est. Itaque apud Aristophanem non tantum Vesp. 401

ὦ Σμικυθίων καὶ Τεισιάδη καὶ Χρήμων καὶ Φερέδειπνε,

sed etiam v. 1424 scribemus:

*ὁ τι χροῖ μ' ἀποτίσαντ' ἀργύριον τοῦ πράγματος
εἶναι φίλον τὸ λοιπόν.*

ubi quod in codice Ravennate est *ἀποτίσαντ'* ostendit, quam parum fidei in his literis similiter enuntiatis (*ἀνυσιούχοις*) codicibus vel praestantissimis tribuendum sit. Ex eis vero, quae Herodianus dixisse perhibetur (2 p. 591, 28. 29 L.): *Τισαμενός: ἰ. Τισανδρος: διὰ τοῦ ἰ. παρὰ γὰρ τὸν τίσω μέλλοντά ἔσα.* collatis Choerobosci verbis p. 265, 31: *Τισαμενός καὶ Τισαμενός. ἀπὸ μὲν τοῦ τίσω διὰ τῆς εἰ διφθόγγου Τισαμενός διὰ διφθόγγου. ἀπὸ δὲ τοῦ τίσω τοῦ διὰ τοῦ ἰ Τισαμενός διὰ τοῦ ἰ.* nihil aliud discimus, nisi quibus ducti rationibus grammatici $\bar{\iota}$ praetulerint et ita effecerint, ut haec scribendi ratio denique in omnes se codices insinuaret.

Hic denique addo alius inscriptionis tegeaticae aliquanto antiquioris particulam, quam lapidi undique lacerato insculptam Michael Deffner in domo Georgii Sabae in vico Piali invenit. In ectypo papyraceo haec legi:

. ι λ
σ ο ρ χ ο
α ρ χ ο σ ε ι
ο ι α λ κ α ι ν ε
5 . ω ν α λ ε ξ ο μ ε ν

. τ η σ ο ρ ι ν ι α σ . .
 . σ ι α σ π α ρ ρ α σ . .
 . . π α ν τ ε α σ δ ε ι ν
 . . ο ι φ . ι ν . . σ α ι

Fuit tabula nominum propriorum nescio qua de causa enumeratorum. Num in v. 4 literae *οι* ad vocabulum *στρατηγ]οι* pertinuerunt, ut in v. 3 de v. *επι]αρχος* cogitare possis? Rarius nomen *Ἀλκαίνετος* v. 4 est, novum, nisi fallor, v. 6 *Ἰρίνας*.

Scr. in academia Georgia Augusta d. XV. m. Iulii a. MDCCCLXXVI.

I. SCHOLAE ORDINIS THEOLOGORUM.

a. *Professorum ordinariorum.*

FRID. EHRENFEUCHTER, Dr., morbo impeditur, quominus scholas habeat.

LUDOV. SCHOEBERLEIN, Dr., publice *Exercitationes liturgicas* seminarii practico-theologici moderabitur die Merc. h. VI—VII et die Sat. h. IX—XI; privatim *Dogmatices partem alteram* quinquies per hebd. h. XII—I, et *Symbolicen christianam comparativam* quater per hebd. h. V—VI tradet. Praeterea *Societatem dogmaticam* die Mart. h. VI—VIII moderabitur.

AUGUSTUS WIESINGER, Dr., publice *Seminarii Regii homiletici exercitationes* die Sat. h. X—XII et *Exercitationes catecheticas* die Merc. h. V—VI moderabitur. Privatim *Evangelium Joannis* quinque diebus h. IX—X explicabit; *Theologiam practicam* quinque h. III—IV tradet.

IULIUS WAGENMANN, Dr., publice quaternis scholis *vitam Jesu Christi* docebit h. IV vel alia hora commoda; privatim *Historiam ecclesiasticam aevi medii ac recentioris* hora VIII quinque p. hebd. lectionibus tradet. *Societatem theologicam historicam* moderari perget die Veneris h. VI.

ALBERTUS RITSCHL, Dr., privatim *Ethicen theologicam* docebit quinquies per hebd. h. IX.

HERM. FERD. REUTER, Dr., publice *de natura indole fine historiae ecclesiasticae* disseret die Saturni h. XI—XII; privatim *historiam dogmatum Christianorum* exponet sexies h. X—XI.

HERMANNUS SCHULTZ, Dr., publice *Seminarii Regii homiletici exercitationes* die Sat. h. X—XII, *Exercitationes catecheticas* die Sat. h. IV moderabitur; privatim *librum Jesaiae* interpretabitur quinquies per hebd. h. X.

b. *Professorum extraordinariorum.*

GEORG. CONR. AMADEUS LÜNEMANN, Dr., *Pauli ad Corinthios epistolas* interpretabitur quinque p. h. lectionibus h. IX—X.

THEODORUS ZAHN, Dr., privatim *evangelium Matthaei* interpretabitur et cum *evangeliiis Marci et Lucae comparabit* quinque p. h. lectionibus h. IX; publice *historiam literarum christianarum usque ad Eusebium Caesareensem* tradet dd. Martis, Jovis, Veneris hora XI; *societatem exegeticam* moderabitur die Mercurii hora VI.

c. *Privatim docentium.*

BERNH. DUHM, Lic., h. X privatim *alteram libri Jesaiae partem* (c. XL—LXVI) interpretabitur ter per hebd.; gratis *Introductionem in libros prophetarum* semel tradet; *Historiam Jeremice ejusque saeculi* bis per hebd. enarrabit; *Theologiam Paulinam* bis docebit.

FERDINANDUS KATTENBUSCH, Lic., *Historiam doctrinae lutheranae usque ad nostra tempora* binis p. h. scholis gratis enarrabit; *Exercitationes historico-dogmaticas* semel privatissime et gratis instituet.

II. SCHOLAE ORDINIS IURISCONSULTORUM.

a. *Professorum ordinariorum.*

H. C. BRIEGLEB, Dr., octonis per hebdom. lectionibus diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris h. XI—XII et XII—I *doctrinam processus civilis* tradet.

HENRICUS THÖL, Dr., tradet *Ius mercaturae et cambii et maritimum* e libris suis (das Handelsrecht, das Wechselrecht) quinquies hora IX—X.

RUDOLPHUS DE IHERING, Dr., tradet *doctrinam Pandectarum excepto jure familiae et hereditario* sexies per hebdom. h. XI—I.

OTTO MEJER, Dr., *jus publicum tam Imperii quam singularum ejus civitatum* quinquies p. hebdom. h. X; *jus administrativum Angliae* publice die Mercurii h. XII docebit.

OTTO ERNESTUS HARTMANN, Dr., *Institutiones et Historiam iuris Romani* tradet quinquies per hebdom. hora XI—I; collegium, quod *Processuale practicum* vocant, instituet bis per hebdom. hora IV—VI.

RICARDUS GUILIEMUS DOVE, Dr., privatim *Jus ecclesiasticum et Evangelicorum et Catholicorum cum matrimoniali* sexies p. hebdom. h. VIII—IX tractabit; publice *historiam juris ecclesiastici* finium inter civitatem et ecclesiam regundorum *judicii imprimis ratione habita* bis per hebdom. horis definiendis docebit.

CAROL. ZIEBARTH, Dr., privatim *Processum criminalem* Germaniae quater per hebdom. diebus Lunae, Martis, Jovis, Veneris h. XI docebit; publice *historiam processus criminalis* die Mercurii h. XI enarrabit. Privatim *Jus civile Borussicum* quinquies h. IX tradet. Privatissime *exercitationes juris ac processus criminalis* die Mercurii h. IV—VI vel aliis horis commodis instituet.

FERDINANDUS FRENSDORFF, Dr., *Jus Germanicum privatum cum jure feudorum* diebus Lunae, Martis, Jovis, Veneris h. XI—I; *Historiam juris Germanici* quinquies per hebdom. h. III—IV tractabit; *Exercitationes in interpretandis juris Germanici fontibus* die Lunae h. VI publice instituet.

RICH. ED. IOHN, Dr., *Jus criminale* docebit quinquies per hebdom. h. X; *Encyclopaediam juris* docebit ter per hebdom. h. IX.

b. *Professoris extraordinarii.*

CAROL. GUIL. WOLFF, Dr., *Ius romanum de hereditatibus* quinis per hebdom. lectionibus h. III—IV docebit.

c. *Privatim docentium.*

G. RÜMELIN, Dr., *Historiam processus civilis Romani* dieb. Martis, Merc., Vener. h. IV—V; *Ius familiarum Romanum* dieb. Merc. et Sat. h. X—XI tradet.

ERNEST. ZITELMANN, Dr., *Ius hereditatum* tradet dieb. Lun., Mart., Jov., Ven. h. X—XI; *Exercitationes practicas* moderabitur dieb. Mart. et Jov. h. XI—XII.

III. SCHOLAE ORDINIS MEDICORUM.

a. *Professorum ordinariorum.*

CAROL. FRID. HENR. MARX, Dr., privatim h. II—III diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris *Pharmacologiam* s. doctrinam de Remediorum effectibus atque usu, nec non artem formulas medicas concinnandi tradet.

FRIDER. WÖHLER, Dr., in laboratorio academico una cum professore HÜBNER *Praxin chemicam* docebit.

WILH. BAUM, Dr., lectiones suas initio scholarum indicet.

J. HENLE, Dr., privatim *Osteologiam et Syndesmologiam* d. Martis, Veneris, Saturni h. XI—XII; *Anatomiae c. h. partem priorem* quotidie h. XII—I; *Anatomiam topographicam* dieb. Lunae, Mercurii, Jovis h. II—III tradet; *Artem cadavera secandi* una cum prosectore Dr. A. DE BRUNN quotidie h. IX—IV tradet.

C. E. HASSE, Dr., *Scholam clinicam* in nosocomio quotidie h. X—XI moderari perget. — *De morbis chronicis infectione ortis* bis diebus Mercurii et Veneris h. IV—V tradet.

